



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 13. Quid imaginatio poßit in corpus quasi alienum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

pidem offendisset; eodem modo Theonem Stoicum dormientem in somnis ambulare; Periclis seruum in summo tecti fastigio solitū spaciari. Cuius rei rationem esse aiunt, quòd imaginatio, dum rerum sensu perceptarum simulacra retractat, simul etiam excitat potentiam appetitiuam ad timorem, pudorem, iram, aut tristitiam, quæ affectiones, hominem ita afficiunt, vt calore, vel frigore alteratus palleat, vel rubeat; exiliat, vel torpescat, efferatur, vel deiiciatur. Quod contingit potissimum in his, quorum imaginatio est vehemēti-
 or; & qui acrius perturbari, ac res tenaci-
 us apprehendere sunt soliti. *Dicamus moueri dormientes*, ait Andreas Laurentius, *quia exigua vis in musculis latens à forti imaginatione excitatur: propterea non momentur somniantes, nisi valida imperante imaginatione, brutorum imaginationi simillima, ante quam necesse est rei externæ vel totius, vel ex parte sensum aliquando præcessisse, licet dudum præcesserit.*

Andreas
 Laurent.
 lib. 4. hist.
 Anatom.
 q. 12.

§. XIII.

Quid imaginatio possit in corpus quasi alienum?

Sicut igitur multum potest imaginatio
 in

in corpus proprium, ita potest etiam non parum in illud corpus, quod ei arcta quadam coniunctione & contactu est copulatum, quale corpus est fœtus in utero, aut etiam semen parentum. Sæpe enim imaginatione utriusque parentis ad eiusmodi monstrum producendum concurrit; licet unius etiam sufficiat, ut Valesius docet. Sic Fernelius scribit, pavonem, si dum ovis incubat, linteis albis circumtegatur, albos omnino pullos, non variantis coloris, edere. Sic itidem per imaginationem, quæ conceptioni successit, non raro proles, etiam iam formata in utero, maternæ imaginationis dispendia sensit. Præter exempla superius allata. Witebergæ quædam mater uterum ferens, obvio cadavere, subito pauefacta, puerum postea peperit, qui usque ad longam ætatem facie fuit cadaverosa. Et Isenaci pudica matrona glirem peperit; quia ex vicinis aliquis gliri nolam appenderat, ad cuius sonitum reliqui fugarentur; is occurrit mulieri gravide, quæ ignorare rei; subito occursum, & aspectu gliris, ita est conterrita, ut fœtus in utero, degeneraret in formam bestiola. Alius author ita scribit: In Bilsen Bohemia oppido (Anno 1547.) ut

Pencernu,

Vales. lib.
de sacra
Phil. c. 11.
Fernel.
lib. de
hominis
procreat.

N. Domen
nent in c.
30. Gen.

Conrad.
Lycosth.
lib. de

Prodigijs
& osten-
tis. Anno
1542.

Peucerus, de Teratoscop. memoria tradidit, natus est infans similis imagini Christi crucifixi, aut pendentis in cruce. qui collum tortum, & in latus inflexum habuit, quem admodum pingitur imago Fily Dei de cruce ablati ut difficulter ipsius ori propter obliquitatem cibus inseri potuerit. Crura etiam transversa & inflexa habuit, quæ etsi aliquoties seungerentur, sua sponte tamen ad priorem figuram relapsa sunt. Vixit aliquamdiu Vienna Austria. Hanc mihi historiam suspectam facit, non tam quia pro ea hæreticus hæreticum testem citat, quàm quia videtur ad crucifixi imaginem abolendam excogitata. Videtur enim id innuere, ut feminae prægnantes abstineant à cruce intuenda. Sed non est magnum hinc periculum, cum pauca tales eam effigiem imaginationi imprimant adeò vehementer; & si vel vehementissimè eam apprehenderent, tamen Deus non censendus est sic earum remuneraturus pietatem. Potius igitur existimo, si vera est illa historia, in pœnam id feminae hæreticæ contigisse; quæ, quod in Dei Filyo irriserit, coacta sit intueri in suo. Illud certius esse arbitror, quod mihi vir eruditus & fide dignus scripsit, Anno Christi

1599.

1599. die 29. Octobr matronā quamdam alioquin honestam, Venetijs, vna partione gemellos edidisse, quorum non tantum corpora inuicem concreuerant, sed etiam cancellatis cruribus ita iuncta erant, vt ægrè sexus discerni posset. Diu fuerat à medicis & chirurgis anquisitum, quò dissolui possent? Sed opera omnis lusa; omnes artes, omnes industriæ in irritum ceciderunt. Mortuo vno, alter quinque dies superuixit. Pudendi partus pudenda caussa fuit: sed quæ meritò terrere potest coniuges illos, qui existimant, nihil obesse, si thalamos suos suspensis vndique obscœnis imaginibus exornent dicam, an dedecorent? Repertum est enim Venetæ illius domûs dominum propudiosam quamdã in conclauis suo imaginem exposuisse, quæ complexus sponсорum exprimebatur. Atqui, teste Isidoro. *hanc feminarum dicunt esse naturam, vt quales persexerint, siue mente cogitauerint, in extremo voluptatis astu, dum concipiunt, talem sobolem procreent. Et enim anima in usu venereo formas extrinsecas intus transmittit, eorumq; satiata typis, rapit species eorum in propriam qualitatem.* Eadem est D. Hieronymi, & D. Augustini de Apiboué dit. in

Gen. cap.
30. S. Au-
gust. l. 18.
de ciuit.
Dei c. 9.

boue agentis sententia. Et idem Thomas
Morus his versiculis indicauit :

*Atqui graues tradunt sophi:
Quodcumq; matres interim
Imaginantur fortiter,
Dum liberis dant operam §
Eius latenter & notas
Certas, & indelebiles
Modoq; inexplicabili §
In semen ipsum congeri §
Quibus, receptis intimè
Simulq; concrefcentibus §
A mente matris instam §
Natus refert imaginem.*

§. XIV.

Pregnantibus curiositate abstinendum.

Lud. Vi-
nes l. 2.
de Chri-
stian. fe-
mina,

Qua de causa eruditus Hispanus, patria-
lò antè à nobis laudatus, matres, dum
vterum ferunt, etiam atq; etiam confide-
rare iubet, quàm periculosa validaq; sint,
in humano corpore, imaginationes; atq;
eapropter operam dare, ne quam admit-
tant de formis, turpis & obscœnæ rei co-
gitationem. Item vt pericula deuitent, in
quibus fœda aliqua visu species possit oc-
currere. Quòd si eas occasiones adeant,
præcogitent, quidquid possit oculis offer-
ri; ne